



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XXX. Nepos ex meretricio susceptus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

leges necdum posset petere vel justum: per tot innocentium capita grassatur: hunc relinquit, hunc arripit, hunc timore punit, hunc morte.

X X I X.

Fortis dives inimici alteram filiam petens.

Pauper & dives inimici. Pauperi duæ filiæ. Belli tempore promisit se dives fortiter facturum, si in matrimonium sibi pauperis una filia daretur: populus tacente paupere decrevit: dives fortiter fecit: puella se interemit. Petit dives aliam, pauper contradicit,

C O N T R A D I V I T E M.

PRiusquam fortiter faceret, postulavit, confusus id sollicito extorquere se populo, quod impetrare à victore non posset. Ducat dives aliquam, sed æqualem: ducat volentem. Velis enim nolis, suspecta res est amator inimicus, squallor & mœror, gemitus & luctus, inimici. Filia talis adamatur? pauper & dives? inimicum est matrimonium. Ne pecora quidem jugum nisi paria succedunt. Ego autem, quid faciam? laqueum filiæ solvam, an flameum superponam? facem nubenti præferam, an rogam jacentis accendam? Aliter enim merces in timore promittitur, ¹ aliter onus in pace præstatur: festinavit ad laqueum, properavit ad mortem, non creditis patri? credite vel forori: si vicerit, ad patrem revertetur: si victa fuerit, ad sororem.

X X X.

Nepos ex meretricio susceptus.

Qui habebat filios frugi, ² & luxuriosum, ab amore meretricis abdicavit. Abdicatus se ad meretricem contulit. Illic cum ægrotare cœpisset, misit ad patrem, & commendavit illi filium de meretrice susceptum, rogans, ut eum in familiam recipiat, & obiit: vult illum senex in familiam recipere. Reus est alteri filio dementia.

C O N T R A P A T R E M.

NEcesse est, me hodie in causa amplius dolere, quam dicere. Pius est sine dubio filius, qui in patre mentis errorem

¹ Aliter onus.] Fortasse, bonos. Pithœus.

² Et luxuriosum ab amore.] Lego, & luxuriosum, luxuriosum ob amorem. Idem.

errorem morbo potius assignat, & fato, quam moribus. Miseranda potius in meo patre, quam accusanda dementia est. Multum potest abdicatio, cum timetur: post ex pudore jam liberius erratur. Vos interrogo, iudices, utrum sit sanus, qui & suos abdicat, & adoptat alienos. Adoptio sancta res est quidem, quæ beneficia naturæ & juris imitatur. in quo puero nescio quid sit indignius, utrum patris origo, quod est dubia; an matris origo, quod certa est. Dixit ille suum filium: dixit ut amator: dixit imo ipse, jam parum sanus.

XXXI.

Adulteræ soror & mater.

ET MATRES ET SORORES IN ADULTERIO DEPREHENSAS LICET OCCIDERE. Quidam cum sororem deprehendisset, occidit: furorem passus, respuit: invenit & matrem: non occidit: abdicatur à patre.

PRO FILIO.

SOROR insaniendum est: & mater adultera vivit, domo spatia carendum est. Hic exitus venit, ut ex quo malo furor cœperat, ex eo sanitas nasceretur. Voluit me explorare fortunam gloria: quantum nobis honoris attulerit, tantum virtutis exposcit. Innocentiam patris dum liberare quæris, infamas. Homini verecundo in hujusmodi crimine, longe gravior est fama quam pœna. Vetus, iudices, dictum est, ut aurum igne, itidem innocentiam iudicio spectari solere. Melius est patri, virtutum tuarum argumento te prodesse, quam præmio.

XXXII.

Amator meretricis dominæ.

Meretrix, servum suum amantem se, in crucem agit: appellat tribunos ille de injusto supplicio.

PRO SERVO.

MIROR quidem à muliere tam comi, crucis nomen auditum: quæ nullum unquam, nisi amore, cruciaverit.

1 Soror insaniendum est.] Probo conjecturam Neveleti mei, Soror occidit, insaniendum est: Mater adultera vivit, domo spatia carendum est. Gronovius.